

4^o Med.
1612.

1612. May.
CONCLUSIONES MEDICÆ
De
ARTHRITIDE,

Quas favente D. O. M.
EX DECRETO AMPLISSIMÆ FA-
CULTATIS MEDICÆ IN INCLYTA
ACADEMIA HEIDELBER-
GENSI.

Praeside Cl: & Exc: D. D.
JOH:GASPARE FAUSSIO,
Medicinæ Dr. Archiatro Palat. Practicæ
M. Professore, & Facultatis Decano.

Progradu Doctoratus consequendo.

Publicè defendet
S T E P H A N U S S K I N N E R
Anglo Londinensis.

Die 9. Julij.

Horâ, & loco solitis.

H E I D E L B E R G A E,
Typis AEGIDI WALTERI ACAD. TYPogr.
Anno M. DC. LIII.





Clarissimo, & Excellentissimo D. D.
JOHANNI GASPARO
FAUSSIO, Medicinæ Doctori Archia-
tro Palat. inclytæ Facultatis Decano, Me-
dicinæ Practicæ in Academiâ Heidelber-
gensи Professori Primario, Patrono & Pre-
ceptorи suo unicè colendo,

E' uđa ipso vnu.



Um Articulari morbo, perniciacissimo sci: humani generis
hoste, ludicro, & umbratili dimicaturus prælio, quem nam
potius Agonotheram depositerem, quam Te Vir. Cl. & Ec.
qui Tuá unus medendi solertia praestitisti, ut jam nullos
morborum inexpugnabiles credamus; cuius alexicacá pro-
tecti umbrá ferales nuperi Cometa minas etiam conte-
nere audemus. Nec ignoro me idem facere quod illæ orato-
rum larvæ, illi è musarum castris Pyrgopolynice, qui in declamatoria palastrâ
nihil præter Hectoras, & Ajaces ingeminant, ipsi pavidi, interim & meticulo-
si, quibus stricti ensis coruscatio profulmine est, vespertina umbra pro gigante;
illud tamen, quicquid est importunæ audacia, Tuo imputandum patrocino, qui
hunc meum antagonistam tam crebrò, tam luculenter devicisti, ut jam vel tyro-
nibus, ne dicam pueris despectui esse mereatur: ut non abs re videar mibi, ca-
lonum instar, qui prostrata à generosis militibus corpora, etiam quam ipsi
victores fortius expoliant, non tam ad pugnam, quam ad exuvias, Tui triumphi
pedissequus accedere. Nec mirandum, Te, veluti Alcidem illum monstrorum de-
bellatorem, tot summi nomini Dynastas certatum expetivisse, majorem sibi se-

curitatem ex Tuâ solius presentiâ , quam quovis militum præsidio pollicitos , ut
Tuo sci. subsidio freti profligare possint perduellem istum morbum , qui non mi-
nus ambitionis , quam crudelis in ipsas potissimum Aulas tyannidem exercet ,
qui nullo Majestatis respectu satra sepe Principum corpora Questioni subiecta ,
forie ut licentiosi nimis vicius vel confessionem , vel penitentiam extorqueat .
Certe illud inter præcipuos pietatis Tuæ juxta , & prudentia titulos referen-
dum , quod ab omnibus fere mundi cardinibus invitatus , & tantum non invoca-
tus , Hippocratis Tui exemplo , quem eadem felicitas Persarum Regis præcibus
dignum reddidit , Tuam Coum , patriæ Tuæ Metropolim prætulisti ; & tanquam
parum esset homines sanasse , auspiciu Serenissimi Principis veri nostri Apollinis ,
busus Vrbis Camilli , Matri Academia salutares admovisti manus . Nec tantum
Æseulapij Tui instar , recens divulso , & rapido adhuc sanguine rorantes Virbj
Athenai artus collegisti , coaptasti , animasti , nec decantato Medea artifcio , ari-
das senio venus juvenili distendisti sanguine , sed diviniori longè miraculo , Vni-
versitatem hanc jam à triginta annis emortuam , suisq; & urbis ruinis sepultam
suscitasti , fovisti , vegetasti . Hinc pulsâ tristi , & barbarâ solitudine latiores
istæ , ditionesq; Artium , & Scientiarum Nundinae , nunquam desitura , restores-
cunt . Hinc frequenti literatorum satellitio stipantur Professorum latera ; hocq;
tam felici celeritate simul ferè inceptum , & perfectum est , ac si renovata Deu-
calionis & Pyrrha metamorphosi , ex ipsis lapidibus , ipsis inquam semirute urbis
ruderibus studiosi emersissent . Sed Panegyrico locum preclusit illa tua laudibus
invicta modestia , quâ effectum est , ut Tu cui alias in altissimâ natura caligine
nihil non obvium est , nihil non perspicuum , virtutum tuarum splendorem , vel
maxime lippientibus manifestum , solus ex omnibus , quotquot hunc aerem spi-
rant hominibus , nondum videoas . Vota tamen nostra sustine , licet encomia per-
ferre nequeas . Vale peritissime salutis artifex , & qui tot conclamatis vitam
dedisti , Tibi aut saltem nomini Tuо immortalitatem accipe , quam ut solam
meritis Tuis parem mercedem certus augury prædicit .

Claritatis & Excell.

Tua

Dovotissimus & Devinctissimus Cliens.

STEPHANUS SKINNER.



THESES I.



Rthritis *τριθίτις* ή *τριθίτης*, quod articulum Græcis sonat, dicta definiri potest partium nervosarum, & sensibilium circa articulos dolor, à defluxu humoris serosi, & acris partim tendentis, partim vellicantis, à venis, & arterijs transmissi, per periodos invadens, calore, rubore, tumore, febre, & cum diu duravit, etiam tophis plerumque comitatus.

II.

Etsi secundum notationem nominis quivis circa articulos dolor possit Arthritis appellari, ut qui ex luxatione, contusione, ictu, vulnere, lue Venereâ oritur; qui virginibus circa menstruorum eruptionem, aut gravidis post partum in coxâ, ant maximè partui vicinis accidit, tamen Medici, quorum privilegium est, ut & omnium aliorum qui vel artes, vel scientias tradiderunt, suos terminos definire, & pro libitu vel ampliare; vel restringere, vocem hanc ad hanc peculiarem doloris speciem coarctârunt, sic eam quasi *καρ' εξοχήν*, & per Antonomasiā denominantes.

III.

Excludimus itaque à legitimo censu specierum Arthritidis, primò affectum illum quem solum Mercatus Arthritidis nomine dignatur cæteris exclusis, qui plures, aut omnes articulos occupat, nec ut vera Arthritis incipit à dolore, & desinit in tumorem, sed contra à tumore incipit, accedente poste à dolore, & si semel invaserit, iterum non revertitur. Secundò dolorem illum Ischiadis æmulum, qui etiam ipse sape vehementissimus est, non tamen propriè articulatis, quia non articulum, sed membranias muscularum affigit, nec stabilis est, sed ad inferiora plerumque descendit, & ut prior, plerumque semel tantum in vita invadit. tertio illam movendi impotentiam cum aliquo dolore conjunctam, quæ oritur ab assumptione illius humiditatis.

tatis quæ articulos omnes, præsertim circa genua, melioris motus gratia imbuīt, ut & quæ nimio erui esu contrahitur: vel propter denegatum ex obstructione nervorum à pravis succis alimentum, vel etiam quod crassis humoribus articuli gravantur; cuius doloris mentionem facit Hipp. 6. Epid. comm. 4. textu 13. & cā affectos non ~~appellat~~ sed ~~appellat~~ yēas appellat; nec non quæ in contractis vulgo dictis, præcipue post Colicam accidit. quartò dolorem illum articularem qui scorbuticos ex humore seroso, Melancholico, peculiariter corrupto, cum levi Paralysi idenridem cessans, & rediens affligit. quintò illum tumorem pendum in hydropicis, qui etiam dolorem, dum moventur pedes, excitat, sed non ut vera Arthritis, ipsas partes articulūm constituentes, & conneccentes occupat, sed tantum inter ipsas & cutim hæret.

IV.

Arthritis non rectè definitur tumor, & inflammatio, licet eam sic Galenus, & Aëtius definiant, respicientes ad illud quod ut plurimum accidit: nam in principio, quando dolor maximè urget, nullus tumor appetet; ut nec in coxendice, & omoplatā interdum, in quibus, utpote in locis carnosis humor qui affluxit carne tectus latet. Et vel inde constat quod non est inflammatio, licet eam inflamatio ob attractum nimio dolore sanguinem consequi possit, quia non in suppurationem tendit, licet materia aliquando, sed rarius in aliquid puri simile mutetur, quod tamen non est verum pus, sed potius sanies quædam, & ichor fœrás exudans, & extrà carnem & cutem erodens.

V.

Subjectum non est, ut nonnulli volunt, ipsum spatium inter extremitates ossium; nam sic membrum longius evaderet, quod non fit; sed partes membranosa, & exquisitiore sensu præditæ circa articulos, quibus etiam accenso ligamenta membranosa, scilicet illa molliora qua articulos in orbem amplectuntur.

VI.

Causa autem quod articulos magis, quam reliquias partes affligit, est primò articulorum situ, qui ideo melius acre hoc serum imbibunt, quia in ipsis externa ferè omnia vasa terminantur: secundò quod ligamenta, & tendines magis terrestri sanguine, & cum tartaro cognitionem habente

3

bente nutriantur, tertio quod validissimos motus patientur, quibus
sæpe debilitantur, & humores abundè attrahuntur.

VII.

Licet nulla totius corporis articulatio ab hoc malo omnino immunita sit, tamen quoniam articulationes manuum, pedum, genuum, & ossis innominati maxime illi obnoxiae sunt, antiqui ad evitandam ex multitudine nominum confusionem, præsertim cum eadem sit cura. & eadem indicationes, contenti sunt Arthritidem in 4. tantum species dividere, sci: Podagram, quæ pedes; Chiragram, quæ manus; gonogram, quæ genua; & ischiada, quæ coxendicem infestat.

IX.

Causa immediata, aut morbus, ad quem sequitur hoc Symptoma, est solutio continui: causa continuum solvens est humor acris, serosus, tartareus & salsus: quod constat primò, quod tam acutos dolores excitat: secundò quod in articulis tophi, & nodi interdum generantur, è quibus materia calcis instar, qualem vina quædam non defecata, deponunt, eximitur. tertio quod vini maximè usu generatur; nulla autem planta illud quod falsum, argillosum, calcarium est in terrâ æquè attrahit, ac vitis; unde morbus est aliquibus locis, ut Austriz, & Moraviæ Endemius, ideo quod vina in illis regionibus maximè omnium tartaro abundant, ex natura soli quod maximè calcosum est. quartò quod Arthritici plerumque calculosi sunt.

IX.

Humor iste interdum ad spirituum, qui salem in se mordacissimum habent naturam accedit, sed cum ad ossa, & partes illas frigidiores penetravit, iterum coagulatur, ut & vitrioli, & aliorum salium spiritus coagulari, & in corpora redire posse videmus.

X.

Materia ista, quæ non tantum in omnibus alimentis, sed & in omnibus corporibus perfectè mixtis plus minus reperitur, si vel ob ventriculi, vel hepatis, vel etiam lienis debilitatem non separetur, vel ob intemperiem calidam hepatis, vel lienis immodicè attrahatur, & inde in venas totius corporis distribuatur, vel etiam assetur, & salsis partibus sero exactius permittis in majorem acrimoniam exaltetur, tandem in venis, & arterijs congesta, ubi vel proprio fervore incalescens, vel à causis externis.

4
is externis fundentibus , & agitantibus , vel ab omnibus hisce simul concurrentibus fermentata , natura ejusque facultati expultri . vel copia , vel acrimoniā molesta esse cœperit , ab eā criticā quadam metastasi ad articulos alegatur .

XI.

Non igitur vel sanguis in causâ est , ut supra thesi 4. demonstravimus ; nec bilis , quia multos àtate proiectos , nec ullo , modo biliofosi invadit ; nec Melancholia , nimis enim crassus est humor , quām ut possit in tam angustos meatus penetrare ; nec humor frigidus , & pituitosus , cum contrarium probent , dolor acutissimus , motus eeker , ardor summus ; nec necessarium est cum Paræo malignitatem affingere ; nec quod ille vult , Galenus ad podagram theriacam commendat tanquam veneni antidottum , sed tantum ut vitiosos humores exiccat , & absemat .

XII.

Accedunt causæ aliæ internæ , ut depositio morbosa , hæreditaria ; vel ascititia à labore , aëris , Veneris excessu , aliisque articulos laxos , vel debiles redditibus . Item causæ externæ vel Procatareticæ , quæ vel generant humorēm morbisicūm : scilicet cibi , & potus , vel quantitate peccantes , vel succo acti , fæculento , & tartareo abundantes ; præser-
tim vini generosiotis continuus usus , qui nervos affligit , & membra laxa , & tremula reddit : vel congestos humores commovent , & fundunt , ut Aër Vernus , & Autumnalis ob temperiei inæqualitatem : mo-
tus corporis & affectus animi ; ut & quæ humoris mōrbifici per con-
suetos sudores exclusionem impediunt ut frigus externum poros cutis
constipans , nec non quæcunque dolorem inferendo humores alli-
ciunt .

XIII.

Humor autem iste non , ut vult Fernelius , à capite sub cute deflu-
it ; sic enim partes , per quas transiret , dolore afficeret ; ut in aliis pituito-
sis defluxionibus sentimus dolorem primò in capite , hinc in collo , deinde in scapulis , qui postea ad crura descendit ; vix autem unquam pedes
atttingit , sed cum humor ejus causa serofus sit , & tenuis , in via evanescit :
contrà autem in Arthritide primo à pedibus maximè remotis à capite
partibus incipit : nec , ut contendit Platerus , a partibus intra calva-
riam

riam delabitur , sive enim secundum nervorum , sive spinalis medullæ ductum commearet , fieri non posset , quin antequam ad pedes perveniret , vel spasnum , vel Paralysin , vel dolorem saltem aliquem in transitu pareret ; cum è contrà in pedibus subito , præcipue in morbi initijs dolorem oriri videamus , nullo alibi dolore , vel Symptomate apparente . Statuimus itaque materiam hanc in visceribus ventris inferioris generari , & sæpe diu circa hepar , lienem , & intestina stabulari , donec tandem in venam cavam transferatur . Hinc ex ventris doloribus articulorum dolores sæpe oriuntur , quod in Hypochondriacis , scorbuticis , & colicis satis frequens est , hinc Diarrhæa intempestivè suppressæ in Arthritidem mutantur . Quòd autem per arterias , & venas hic motus fiat , constat primò , quòd semper instantे paroxysmo Arthritico vasa quæ ad manus , & pedes tendunt & extremis articulis inseruntur , manifestè intumescunt . secundò quòd , nt rectè Spigelius observat , si ante universalem corporis evacuationem , externa repellentia pedi , vel manu iadmoveantur , materia ad nobiles sæpe partes refluit , & si quando in Arthriticis Natura succumbat , adeò ut humores istos pro solito expellere , & in articulos deponere nequeat , iis circa viscera , & præcipue cor hærentibus , cordis angustiæ animi deliquia , catarrhi magna vi ad pectus ruentes continuas tusses , & atrophias excitantes , & nisi materia rursus ad articulos retrahatur , ipsa mors succedit . Hinc Crato plurimis in locis inculcat podagricos habere certos Paroxysmotum nuntios , & quasi præcursores , suppressas sci . evaucationes consuetas urinæ , sudoris &c . & paulò post lassitudinē spontaneam , & appetitus dejectiō nem . tertio quòd febres tum continuæ , tum intermittentes interdum in Arthritidem terminantur , quod non nisi translato per vasa humore fieri potest .

XIV.

Non tamen negamus capitis debilitatem aliquid remotè , & per accidens ad hujus mali generationem conferre posse , scilicet vel nervosum genus , utpote cuius temperies , & bona constitutio à cerebri & spinalis medullæ rectâ dispositione dependet , infirmando , adeò ut minus se tueri à fluxionibus , minusque influentes humores concoquere & discutere possit ; partim copiosum serum , salsi & verè Arthritici in hepatæ & venis succi vehiculum futurum suppeditando , quod & ipsum

non raro salsum, & acre, sed prius in visceribus coctionis generatum, reciproco motu, non extrinsecus intra cutem, sed per venas, & arterias ab ipso cerebro descendit.

XV.

Signa Arthritidis invasuræ sunt, quæ supra thesi 13. præcipue ex observatione Cratonis enumeravimus. Præsentis Diagnostica sunt hæc, dolor pollicem pedis, & plerumque sinistri primum invadit; idque primum, quod soleat natura humores vitiosos à partibus nobilioribus quam longissimè fieri potest detrudere. secundò ob declivitatem sitùs. tertio, ut supra fine thesis 6. innuimus, ob magnos motus humores à reliquis superioribus partibus attrahentes. quartò quod partes articulos pedis ambientes humorem istum tartareum magis quam cæteræ hujusmodi partes propter affinitatem in alimentum alliciunt, quod inde patet quod ipsi magis lento, & glutinoso succo quam reliqua membra abundant; unde sit, ut cocti pedes quasi congelentur & sanguis, ex vena pedum extractus in latas, lentas, & tenaces fibras, quas vulgus pituitam credit, concrescit.

XVI.

Sinister pes maximè Arthritidi obnoxius est, quia sinistra ut plurimum debiliora sunt: pollex ideo; quia plures & latiores tendines habet, quam reliqui pedum digiti, humorum propterea magis capaces.

XVII.

Tumor, calor, & rubor succedunt, partim ob acrimoniam humoris morbifici, partim ob sanguinem propter dolorem attractum: item motus impotentia, primò ob male affectos tendines. secundò ob nervorum compressionem. tertio ob humoris affluentis pondus.

XIX.

Accedit & Febris, quæ non semper Symptomatica est, ut plerique Medicorum crediderunt, sed saepius ex genere earum, quas Platerus comitatas vocat; quæ scilicet non sunt solitariæ, sed alium morbum ab eadem causa pendentem conjunctum habent, cum vid. ex motu humoris quem natura ad partem aliquam, vel etiam habitum corporis expellere conatur, febris accenditur Ephemera, vel Synocha; vel si materia putrida sit, etiam putrida: veritas hujus sententiæ hinc constat, quod febris plerumque Arthritidem præcedit, vel cum eâ simul invadit.

7

dit, rarius sequitur, licet s^ep^e parva sit, ideoque ab ægris dolori magis attentis parum animadvertisatur. Febris hæc, ut & aliae continuæ, manè remittit, circa vesperam intenditur; quod fit à sanguinis ad interiora recursu vel spontaneo, vel ab ambientis frigore excitato. Variatur autem, & aliis, atque aliis diebus exacerbatur pro naturâ humoris, qui cum humore Arthritidis causâ concitat.

XIX.

Dolor Ischiadicus hoc proprii habet, quod latius quam in aliis articulis, & s^ep^e ad vicina loca diffunditur; idque fit partim, quia os coxendicis amplum est, unde tribus nominibus distinguitur, & ubi lateribus ossis sacri connectitur, ilium, ad Cotylam Ischium, anterius os pubis appellatur; vel partim quia nervi, qui à lumbis, & osse sacro ad eam articulationem veniunt, in diversas partes distribuuntur, qui in hoc affectu laesi dolorem vicinis partibus communicant.

XX.

Arthritis plerumque lethalis morbus non est, sed Arthritici s^ep^e diu vivunt, & extremam attingunt senectutem; quod natura humoris vitiosos, ex quibus alii morbi periculosiores generari poterant, ad articulos certis intervallis protrudit, atq; ita iis partes principes exonerat.

XXI.

Potest tamen fieri lethalis si ægri continuis, & diuturnis laboribus, & Vigiliis debilitati, tandem, exhaustis spiritibus, succumbant, aut natura jam quavis de causâ fracta materiam, ut dixi, amplius expellere nequeat.

XXII.

Difficilis tamen curatu est, tum ratione morbi; ob diæta^m errores, quæ hⁱc exactissima requiritur, tum ratione paroxysmi; quia humoris per ligamenta, tendines, membranas, & nervos dispersi, propter istarum partium densitatem, & f^tigiditatem difficillime discutuntur, & præferrim vix ullo modo curabilis est, si sit hereditaria. 2. porrhet.

XXIII.

Incurabilis est, primò si luxatio adsit, quia et si articulus reponi possit, tamen ligamenta manent laxiora. secundò si in luxatione cavitas articuli materiâ tophacea repleatur, articulus reponi non potest, ea autem ob radicatam dispositionem vix, aut nunquam tollitur.

XXIV.

Quicunque aut senes sunt , aut circa articulos callos , tophosque concretos habent , aut ærumnosè vivunt , aut siccum alvum habent , hi omnes curari non possunt arte humanâ , quantum ego novi . Hipp . 2 . Prorrhæt .

XXV.

Omnium Arthritidis specierum Ischias gravissima est , propter vigilias , ob summum dolorem ; febrem , luxationem aliquando , ex affluxu accidentem , unde claudicatio , & ex compressione vasorum , vicinarum partium , ut femoris & cruris tabes , quæ non curatur , nisi urantur . 6. Aph . 60 .

XXVI.

Ischias tamen in principio facilius , quam cæteræ Arthritidis species curatur , quia vis medicamentorum facilis ad vasa per quæ fluit in coxendicem humor , quam ad extemos articulos penetrare , & affluenter humorem expurgare potest . Si autem semel affluxerit humor , difficillimè sanatur , quia discentientia , propter articulo incumbentem carnem penetrare quod debent , nequeunt .

XXVII.

Quibus jamdiu Ischiade affectis coxa excidit , rursumque incidit , iis mucores superveniunt . 6. Aph . 59 . scil . excrementa mucosa oriuntur , vel ex debilitate partium nervosarum congesta , cum illæ ob calorem infirmum neque alimentum suum rectè coquunt , nec superflua expellunt , aut dissipant : vel aliunde in locum debilitatum transmissa .

XXIX.

Si podagricis varices supervenerint , solvit ir podagra ; Auic : quia sci : humores ad articulos fluere consueti , ad exteriōres jam cruris partes derivantur .

X X I X .

Quibusunque morbi podagrici fiunt , iis sedatâ intra 40. dies phlegmone (i.e. phlegmonode diathesi , vel phlogosi , non verâ recentiorum , post Hipp . phlegmone) quiescunt , 6. Aph . 49 . addit Galenus , modò medicus in curatione nihil deliquerit , & ægri se morigeros præbeant . Hipp . hic intelligendus primò de leviori , & non lethali Arthritide . secundò de ultimo illius termino , quia multi paroxysmi intra pauciores . dies finiuntur .

XXX.

X X X.

Arthritis raro ad suppurationem venit; non, ut nonnulli volunt, quia humor est frigidus; nam contrarium suprà thesi II. probavimus; nec quia articuli, utpote à fonte caloris remoti, tantum caloris, quantum requiritur ad suppurationem, non habent; nam in ipsis digitorum apicibus inflammatio, ut Paronychia, oritur, quæ tamen suppuratur; sed quod ea sit humoris falsi, & serosi natura, ut non possit in pus mutari, sed vel totus dissipetur, vel, siquid relinquitur, in tophos concrescat; interdum tamen ulcera in articulis exorta multum glutinis cum tophis cretaceis effundunt.

X X XI.

Pauperes rarius, & levius Arthritide tentantur, quād divites, partim ob viētum, quo utuntur, simpliciorem, & parciorēm, & quod minus Vino, & Veneri, illis pernicioſſimis viſcerum, & partium nervosatum inimicis indulgeant; partim quod magis laboribus exerceantur, quibus nativus viſcerum calor excitatur, & humores vitiosi per sudores, & transpirationem discutiuntur.

X X XII.

Eunuchi podagrā non laborant, ut nec mulieres, niſi menstrua, quibus magna pars vitiosorum humorum semper excluditur, defecerint. 6. Aph. 28. & 29. verum fuit hoc tempore Hipp. quando frugaliori viētu uſi sunt, nunc, ut jamdudum scitē obſervarunt Seneca, & Galenus, luxus, & intemperantia posteriorum ſeculorum patrem Medicorum mendacii ferē quotidie coargunt.

X X III.

Pueri Podagrā non laborant antequām Venerem exercuerint, ut-pote quibus calor nativus adhuc validus est, nec nervosum genus libidine debilitatum. 6. Aph. 30. quod intelligendum cſt; niſi podagra à parentum ſemine fuerit propagata, & maximē cum parentes lue Venereā laborarint, quod mali genus Hippocratis ævo ignotum erat.

X X IV.

Curatio hujus morbi respicit vel paroxysmum ipsum; vel tempus extra paroxysmum, in quo prophylaxi ſtudendum eſt: in paroxysmo, humores revellendi, venæ ſectione, ſi ſanguis abundet, eaque citā, quia fluxus urget, ſectā basilicā; ſi omnes aut plurimi articuli afficiantur

indifferenter in quovis latere, si autem unus tantum articulus laboret, in opposito: omittenda autem phlebotomia, si sanguis pituitosus in venis prævalet, ne discussio imminuto calore protrahatur. secundò purgandi in principio specificis serum ex articulis præcipue trahentibus. Iste pulvis usu felicissimus repertus est. Rec. fol. sena el. Crystall. tartari ana ʒ ȝ, farfa parilla Hermodact. verorum ana ȝij, Diagrydij præp. ȝj, sem. anisi ȝij, misce fiat puluis. accuratè tamen observando an in aliis paroxysmis profuerit purgatio, an nocuerit, multis enim prodest, multis etiam nocet; semper autem cavendum, ne vel nimis lenibus pharmaci moveamus tantum humores, non evacuemus, vel nimis validis corpus calfaciamus, humores agitemus. & rariores, ferociorèque reddamus, viresque ægrorum prosternamus. tertio si nimis acres, temperandi, & hepar refrigerandum jusculis cichoraceis alteratis. quartò etiam vomitu ejiciendi, si multi vitiosi humores in ventriculo, locisque ei vicinis hæreant, unde metus est ne commotis in toto corpore humoribus, & ij ad venas penetrent, & cum reliquis ad partem affectam ruant. Selectiva tamen vomitoria non propinanda, sed quæ ventriculum tantum, & primas vias evacuent, quale est sál Vitrioli vomit: quod sub primis paroxysmi initis haustum multis ad hanc evacuationem proclivibus paroxysmos mitiores & breviores præsttit. quintò etiam sudoribus eliminandi sunt exhibito decocto Chinæ, sarracæ, quæ peculiariter dolores sedat.

XXXV.

Repellentia etiam initio applicanda, si subito, & nimio humorum affluxu dolor augeatur, verū non sola, ne motus à naturâ insti-tutus cum vita periculo sistatur, sed anodynîs permista.

XXXVI.

Tertiò dolor mitigandus, primò anodynîs propriè dictis quæ partem affectam demulcent, & laxant; deinde, si hæc non sufficiant, & dolor valde urget, etiam narcoticis, quæ tamen cautè, & non nimis diu adhibenda, quia calido nativo, & nervoso generi inimica sunt. Deinde specificis quibusdam servorem sedantibus utendum, qualia sunt aquæ quædam minerales, ut illæ Rulandi, & Riverij; tales enim plerumque ex sententiâ Quercetani, & aliorum Chymicorum, spiritus coagulare, & corpora dissolvere possunt. Non ignobilis quoque aqua

Ulma-

Ulmariæ cum spiritu salis petijs inibi madefactis tepidè applicata, item cataplasma ex lenticulâ, fl: Chamæmeli, Verbasci, lumbicis, sem. Hyoscyami, farinâ hordei, in lacte coctis, nuperâ experientiâ celebratum.

XXXVII.

Impetu fluxionis jam aliquatenus sedato, ubi pars manifestè intumuit, humorem evocantia, & discutientia, tum illa communia, tum quæ generis similitudine acrem, & salsum istum humorem, propter volatillem, quo abundant, salem efficaciter extrahunt, admovenda sunt potius quam pinguia, & oleosa, quæ teste ipsâ experientiâ dolorem etiam augent, quoniam lentore suo poros inficerunt, & obstruunt: hinc sal Ammoniacum, Urina humana, Raphanns Rusticanus, Lepidium, Vitriolum spiritu Vini solutum, sinapi, & alia hujusmodi acri, & tenui sale scatentia multiplici non tantum recentiorum, sed & antiquorum experimento valdè prodesse comprobata sunt.

XXXIX.

Scarificationem etiam in parte affectâ humore jam affluxo, & partim pacto, ita ut novus affluxus non sit metuendus, summos Podagræ dolores mirificè placare usu compertum est.

XXXIX.

Ad tophos discutiendos adhiberi possunt, non tantum externa emollientia, & dissolventia, sed & interna, ut Antidotus Trallianus & Centaurio. experimentum Galeni ex caseo antiquo cum decocto perna salitæ inter probatissima topicâ numeratur.

XL.

Præcautio requirit primò diætam accuratam, in qua cibi, & vina materiam tartaream suppeditantia, Aëris excessus, Voracitas, Venus, animi affectus nimii, immodica corporis exercitatio &c. vitanda sunt. secundò venæ sectionem, nisi corpus sit frigidius: nonnulli venas ad pollicem pedum singulis mensibus cum successu aperiunt: tertiò purgationem, quæ vere, & Autumno ante Äquinoctium dèbet administrari, idq; lenioribus potius, quam fortioribus. quartò sudorifera, quæ tunc potissimum exhibenda quum humorum ebullitio expectatur ut vere, & Autumno; Noviluniis & Plenilunijs; cavendo tamen ne nimis calidis humores acuantur, & commoveantur. quintò usum Antipodagricorum, ut Chamædryos, Chamæpityos, Aristolochia utriusque,

Hyperici.

Hyperici, Centaurij minoris Gentianæ, Mei, Rhapontici veri, radicum Artemisiae &c. quæ non, ut plerique volunt, Arthritidem sanant intemperie frigidam, & humidam capitis corrigoendo, humoresq; in eo genitos, & congestos dissipando, sed Ventriculi, Hepatis, & Lienis coctiones promovendo, pravosq; humores in ipsis, aut Venis hærentes absterendo, consumendo, perq; sudores, urinam, & occultam transpiracionem evacuando, sexto Articulorum roborationem, quæ sitastringentibus, moderate calfacientibus, & siccantibus, quæ tamen non admodum sunt priusquam dolor, & tumor penitus evanuerint, nec cum topi adsumt, aliæ astringentia potius nocent, quam pro sunt, dum humorum parti affectæ impingunt, eumq; indurant.

C O R O L L A R I A.

Arthritis est summum Natura beneficium, tum ut signum; quod laetam, & felicem vitam prægressam indicat, & Præsens Facultatum robur, quæ secerere, & excernere peccantes materias valent, sicq; graviores morbos avertere: tum ut causi, quia luxum dissuadet, temperantiam, & sobrietatem docet, unde merito diu potest optima Philosophia Magistra, & licet vitiiorum filia sit, tamen virtutum parens est.

2. Arthritis non tam egrorum, quam Medicorum morbus est, utpote quorum non articulos, ignobiles partes, sed nobilissimam omnium, Cerebrum torquet, efficitq; ut ipsa Ars magis quam Podagrica Claudiare videatur.

3. Arthritis est rerum omnium prudentissima, & justissima; prudentissima; quia Casarum sordes, & tenuiorum fortunæ angustias aversatur, & infra dignitatem suam censem inter ineptos, & imbellis pueros, aut loquaces mulierculas versari, sed maturioris Ætatis, & judicij viros, Magnates, & rerum potentes inter mollia stragula, & divitis mensa delicias invisit, eisq; comes fida habet, nunquam autem more caterorum comitum adulatur. Justissima; quoniam pauperes, qui manibus, & pedibus opus habent quibus victimum sibi querant, raro, aut nunquam invadit, illis solis usum membrorum adimit, qui in aut parum ante usi sunt, aut uti necesse non habent.

4. Paupertate longè mitior morbus est Arthritis, hac enim per periodos tantum invadit, illa perpetuò affligit; unde mendicium, quamlibet membris validum minus integrâ sanitate frui, quam Divitem Podagricum vel lecto affixum constanter pronuncio, cum nullum Symptoma tam grave minetur extitum, quam illa, cui semper obnoxii sunt inopes, famæ.

F I N I S.

